



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

52. Levcianvs ab vxore molestis precibus extorquet, vt in testamento ipsum præ fratibus consanguineis scribat hæredem, aliàs hoc non factura; valte nihilominus testamentum in vtroque foro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

quippe, neputans se quærere lucem, quærat tenebras, reperiatque loco illuminati ducis tenebrionem, qui eum in foveam deiiciat.

Resp. Leovigildum non peccare, modò rectâ intentione procedat. Ita Thom. Sanchez L. 1. in Decalog. c. 9. n. 24. Baldell. Tom. 1. D. 22. n. 2. Bresserus de Conscient. L. 3. c. 6. n. 78. & alij. Ratio est. Quia in hac investigatione utitur iure suo à natura sibi concesso, cum solùm investiget scientiam de obligatione, quam imponunt alij. Idcirco dixi modò rectâ intentione procedat? si enim plures Doctores inquirat, paratus stare sententiâ illius, qui ad placitum responderit, quâcunque tandem ratione nitatur, illicitè operabitur, ut rectè concedit Bardi Discept. 4. de Conscien: probabili c. 19. n. 3.

Atque in hunc sensum intelligimus Authores in contrarium allatos, quod scilicet supponant pravam indagandi intentionem, quod unicum etiam ipsorum ratio convincit.

LII. Leucianus maritus vxorem suam in mortis articulo constitutam importunis & molestis precibus diu fatigavit, & tandem ab ipsa extorsit, ut factò testamento ipsum institueret heredem, præteritis fratribus consanguineis. Nunc post vxoris mortem angitur scrupulo, & scire à Confessario petit, num bonâ conscientia accipere hereditatem possit. Quæritur. Quid dicat Confessarius?

Vide-

Videtur non posse. Ita Sanchez *l. 4. de Matrimon. D. 10.* Lessius *l. 2. c. 17. D. 7. n. 46.* Palao *tr. 2. D. 1. p. 12.* post Syluestrum, Nauarum & alios. Ratio est. Tum quia jura ciuilia requirunt, vt testamentum & quælibet vltima voluntas magnâ libertate fiat. Tum quia talis importunitas ac molestia agræ illata iniuriam aliquam continet. Hinc Molina etiam *Tr. 2. D. 135.* putat in foro externo tale testamentum cassatum iri, si fratres consanguinei probare possint, vxorem precum importunitate ac molestiâ à marito adactam fuisse.

Resp. Testamentum illud non solum in conscientia foro valere, sed etiam jure ciuili rescissioni non subiacere, adedq; Leucianum hæreditatem accipere ac retinere posse. Ita Medina Complut. *C. de Restit. q. 3. causa 2. V. Sè fiat remissio.* Basilius Pontius *de Matr. l. 4. c. 10. n. 5.* & alij nonnulli. Ratio est, quia metus leuis ex precum importunitate & reuerentia mariti est in potestate vxoris, eumque abijcere potest; quippe vniuersim is, qui ex metu tali operatur, non agit prudenter, atque idcirco in eius est potestate, imprudentiam repellere, habetque sufficiens in se principium repellendi illum & sine metu agendi. Ergo in proposito vxor omnino voluntariè operatur, nullamque patitur iniuriam, dum importunitatem precum & metum reuerentiæ non vult reijcere, cum facile possit; esto inde inducta
Leu-

Leucianum maritum suū instituat hæredem,
aliàs non institutura.

Confirmatur ex l. nec timorem. ff. 7. de eo, quod
metus causa. & ex c. 1. 3. & 4. de his quæ vi. vbi
metus leuis pro nihilo reputatur, negaturque
actio patienti metum sic donata recuperandi;
sed nec necessarium est, vt eiusmodi metum
passis succurratur ex officio Iudicis, cum nul-
la, aut ferè nulla iniuria sit illata, quæ attendi
debeat. Atque sic etiam patet ad argumenta in
contrarium allata.

LIII. *Leuinius homo valde doctus & catholi-
cus inter alios bibliothecæ suæ libros habet, retinet-
que nonnullos hæreticos de Religione tractantes,
quos subinde legit, eorumque errores commentarijs
suis inserit & refellit; quod advertens Leuini-
anus vir religiosus rogat, num rei huius habeat faculta-
tatem, cui ille reponit, hæc se facultate non indige-
re, cum nullum apud se sit perversionis periculum.
Queritur. Verum Leuinius ex allata solùm causa
excusetur à peccato mortali, & excommunicatio-
ne Bullæ Cœnæ?*

Videtur excusari. Ita nonnulli apud Palao
Tr. 4. Diss. 2. pun. 10. §. 2. n. 8. quos sequitur
Caramuel in Theolog. sua fundamentali. fundam.
17. q. 2. n. 434. Mouentur. Tum quia hæc
retentio & lectio non fauet hæresi, sed potius
eam destruit. Tum quia cessante fine in casu
particulari cessat, nec pro ipso obligat lex, vt
cum alijs Theolog. docet Granad. 1. 2. Cont. 7.
de